

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nummotheca Principum Austriae

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

Herrgott, Marquart

Friburgi Brisgoviae, 1752

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](#)

PROLEGOMENON QUARTUM DE NUMMIS

QUI INDE A RUDOLPHI I. ROM. REGIS TEMPORIBUS, AD SI-
GISMUNDUM AUSTRIÆ ARCHIDUCEM ET COMITEM TYROLIS
USQUE NOBIS SUPPETUNT.

I.

EPocha, quæ in historia Austriaca, a temporibus RUDOLPHI I. Rom. Regis desumi solet, communi scriptorum calculo comprobatur; sed eiusdem statoris ac satoris linea*Habsburgo-Austriaca* Augustam propaginem, serie non interrupta saltem ad FRIDERICUM *Placidum* Imp. usque, veris ac genuinis nummis testari ac illustrare, res non modo difficultate plena, sed, dicam etiam, impossibilis. In nummophylaciis quippe, quæ lustravi, nec non in libris editis, a me visis, paucos sane nummos reperi, qui illam ætatem, de qua nobis hic sermo, attingant, & sint a suspicione falsitatis prorsus immunes. Igitur & paucis exponam spicilegium huius generis nummorum, quod multa opera comparavi. Continentur eo nummi RUDOLPHI I. Regis Rom. solidi, minoris formæ tres, ALBERTI I. Austriaci nummus unus verus, alter dubius. FRIDERICI *Pulchri* pariter nummus non nisi unus verus, anceps alter. ALBERTI II. Ducus Austriæ, cognomento *Sapientis*, bracteatus unus, alter solidus. RUDOLPHI IV. tres, sed dubii: LEOPOLDI *Probi* unus. ALBERTI V. (Imperatoris II.) genuini duo, falsus item unus, & numismata iconica duo. LADISLAI *Posthumus* unus verus, alter iconicus. ALBERTI IV. unus duntaxat. SIGISMUNDI denique nummos maiori numero reperimus; sed de his postea singulari Prolegomeno agemus. Habet hic totam penum nostram nummariam centum, & quod in chronologia Austriaca excurrit, annorum. Hæc manca quidem; sed si rei monetariae facta atque iniurias, ab utilissimæ scientiæ numismaticæ ignorantia profectas, recogitare velis, eam præ multis aliis exterorum regnum & provinciarum nummothecis, locupletiorem esse comperies. integrum istorum nummorum seriem, typis expressorum, infra §. V. recensebimus. Sed quoniam non defuere Scriptores Austriaci, qui alias nummos, tanquam ad istam epocham spectantes, in medium produxerunt, horum typi primo examinandi sunt, videndumque, an & qualem fidem in re historica mereantur.

Elenchus nummorum, qui ad hanc epocham pertinent.

II.

Nummorum Austriacorum ectypa, quæ Octavius de STRADA in sua genealogia Austriaca a RUDOLPHO I. usque ad FRIDERICUM *Placidum* Imperatorem edidit, ad unum omnia falsa sunt & fictitia, adeoque ad epocham Austriacam, de qua nunc agimus, nihil admodum faciunt. De simulatis illis STRADÆ nummis in ipsa huius

RUDOLPHI I.
Rom. Regis nummi falsi.

ope-

1. 6. ref.
ERTVS. S.
DUX SUP.
SERIVS IL
ERTI IL S.
BO, cons
iter deet,
numismat
ON. FIL. +
scribunt
effit LUT.
INTRAMON
comparat
VM. I. CA
n ante do
inat GVS.
21. GVS.
nno 945.
: GVNT.
ETZO, G.
CU RADE.
OTTO. d.
ERVM III.
filius AL.
Exultator
ALBER.
Hunc
in texen
eroſa pro
descende
ovem ca
OPOLDVS
us. 35.
FERDI.
39. FER
ater Leo
in medio
mus cum
, addic
& annus
1. GR.
IVSTVS.
VNG. 17.
ATVS. 17.
PRO-

operis præfatione Lectorem iam monuimus: sed id hoc loco denuo inculcandum putavi; cum animadverti, occasione eiusmodi nummorum scriptores etiam graves hallucinatos fuisse. Sic lapsus est *Ioan. Christophorus WAGENSEILIUS* (1), qui inscriptiones nummi *Rudolphini* falsas & ineptas adduxit: sic *Gisbertus CUPERUS* (2) *RUDOLPHI* Ducis Sueviæ, & filii *RUDOLPHI* Regis Rom. nummum, cuius in aversa parte *elephas* pictus est, æri incisum, suis antiquitatibus inferere non dubitavit. Quin non ita pridem oblata mihi est designatio nummorum, recens edita (3), in qua primo statim loco occurrebat *RUDOLPHI* I. nummus ita descriptus: in adversa comparere dicitur effigies Cæsaris umbilico tenuis, sceptro & globo insignis, cum epigraphe, *litteris*, ut dicunt, *Monachalibus* exornata. IMP. CÆS. RUDOLPHVS. REX. GERM. COM. HAB. LAN. ELS. In aversa parte sisti effigiem *CLEMENTIAE*, filiæ *RUDOLPHI* I. pariter umbilico tenuis expressam, coronatæ, cum hac inscriptione: CLEMENTIA. REG. NEAPO. CAROLI. VX. RVD. IMP. FIL. Novi statim fœtum, ut primo contextum legi: et si archetypum videre mihi haud datum fit; memini enim delineationes eiusmodi extare apud *Oetavium de STRADA*: nec me sefellit memoria; nam ubi eius librum aperui, mox pag. 443. obviam mihi venit adversa descripti nummi pars, ac, evolutis duobus tantummodo foliis, aversam quoque eiusdem partem comperi, ex quo demum intellexi, prædictum nummum ex duabus adversis partibus, a *STRADA* mutuatis, conflatum fuisse; ipsa demum litterarum forma, quæ ut ex eius descriptione audivimus, ad *scripturam Monachalem* accedit, mihi causam attulit, ut credam, sepe dictum nummum ab aurario *Iudeo Pragensi* fabractum esse; de quo in nummis *ALBERTI* II. *FRIDERICI Placidi* & *MAXIMILIANI* I. Augustorum sermo nonnunquam recurret. Sed missis eiusmodi adulterinis ac suppositiis nummis, qui se ipsos statim produnt, vel litterarum figura, ac titulorum ordine, vel forma habitus, vel pondere, ac moduli magnitudine, iam nostra se convertit contemplatio ad nummos, qui subinde recentiori ævo nomini ac honori *RUDOLPHI* I. Rom. Regis dati fuerunt.

III.

Nummi iconici, eiusdem nomini, ævo recentiori datū. **U**bi maioris moduli ac ponderis nummos flandi feriundique mos iam obtainuerat, ipsi Archiduces non raro solliciti erant, icones maiorum suorum, modo plures, nunc pauciores numero, in eadem numismatis area, distinctis ut plurimum parvulis, scite representari. Huiusmodi typi iconici cum Principum Austriæ iussu signati, tum ab aliis honoris ac memoriae primorum *Habsburg-Austriacorum* Regum Rom. ac Cæsarum recentiori ævo dati, in hac collectione suis locis non raro occurunt. Hac vero ratione nummi solidi maioris moduli, qui in serie trium primorum Cæsarum Austriacorum: *RUDOLPHI* I. *ALBERTI* I. & *FRIDERICI Pulchri* vel

(1) Comment. de civit. Nostimb. edit. Altdorff. 1697. in 4, p. 247. (2) Nov. Thes. antiq. Rom. Tom. III. col. 241. (3) Suppresso nomine loci 1747. in 8, p. 1, n. 1.

maxime desiderantur, quodammodo restituuntur, corumque memoria in nummothecis quasi ab oblivione vindicatur. Præcedenti Prolegomeno iam vidimus, qualiter sub LEOPOLDO *Magno* Imp. monetarii ceterique artifices desudarint in adumbrationibus iconum maiorum Habsburgicorum : sed iis palmam præripuisse videtur Celeb. WERMUTHIUS, qui initio præsentis seculi integras Pontificum & Regum Rom. series uncialibus fere numismatibus expressit, inscriptionesque addidit, quibus ortum, vitæ curriculum atque obitum cuiusvis strictim exponit. Cl. TENZELIUS eius generis numisma WERMUTHII in suam *Saxoniam numismaticam* adoptavit (4). Possem & ego quidem ex eiusdem auctoris collectione integrum Augustorum ex gente Austriaca oriundorum seriem desumere, & hic in medium adferre ; sed quoniam animadverti in typis iconicis nostrorum trium saltem Augustorum simulacra, vel ad genium, vel ad obvias quasque icones efficta esse : eorum delineationes hic prætermittendas esse duxi, quanquam unum saltem eiusmodi nummum, quasi speciminis loco, in FRIDERICO *Placido*, qui veram eius effigiem non ineleganter refert, exhibere vifum fuerit.

4

IV.

Ordo reliquorum Austriæ Ducum, quemadmodum eum hic supra §. I. exposuimus, ab ALBERTO I. ad SIGISMUNDUM Archiducem usque in nummis sic satis bene procedit, uti ex eorumdem delineationibus mox videbimus. Sed remoram hic nobis facit MATHIAE *Corvini* Regis Hungariae nummus, cuius ectypon Cl. HANTHALERUS (5) edidit: afferens, eum ad nummothecam Austriacam attinere. Fateor lubens, quod, si quis eius nummi typum cum auctoris commentario contulerit, is dictis assensum præbere difficilis non erit. *Grossus* quippe est genuinus, quanquam inverso ordine delineatus, cuius adversa pars hanc epigraphen habet: . MONETA. MATHIE. REGIS. VNGARIE. In umbone fistitur scutum quadripartitum, cui superne impressa est stella. I. quadrans exhibet fascias *Hungariae*. II. continet crucem Patriarchalem. III. insignia *Dalmatiae* præbet. IV. complectitur leonem *Bosniae*. In medio toti scuto superimposita est parvula, corvum, familiæ *Corvine* symbolum, fistens. Hæc bene se habent ; sed in quarto, iam descripto, quadrante, HANTHALERUS parvulam *civitatis Viennensis* additam esse, sibi persuadet. Tum vero in postica nummi parte, quæ iconem B. V. MARIAE sedentis, & Divinum puerulum reclinatum manibus tenentis, inter duas siglas K & B (locum officinæ monetariæ denotantes) exhibet, cum epigraphe: † PATRONA. VNGARIE. Circa genua iconis a dextris, idem auctor parvulam *Austriae*, fascia hodierna insignem, addit. Inde vero coniectat, quod cum MATHIAS Rex anno 1485. usque ad annum 1490. urbem Vindobonensem cum potestate teneret, insignibus pariter *Austriae* & *civitatis Viennensis*,

MATHIAE *Corvini* Regis Hungariae nummus Austriacus apud HANTHALERUM expeditur.

5

TOM. II. P. I.

i

in

(4) Lineæ Albert. Tab. I. n. 2. p. 13.

(5) Wienn. münz, in frontisp. n. 12. p. 16.

in nummis spectabilem se reddere voluerit. Verum ex nummis & diplomatis MATHIAE aliter edocitus, teneo: CORVINUM Regem *Hungarie & Bohemiae*, nec non Marchionem *Moraviae*, Ducem item *Silesie & Lusatiae* se scripsisse, horumque regnorum & provinciarum insignia in sigillis & nummis expressissse. *Austriæ* vero & *urbis Viennensis*, sicuti neque in titulo meminit, ita nec eorum insignia unquam adsumpsit. Argumento mihi est diploma Regis, quod in archivo S. Crucis adseratur, in ipsa urbe *Vienna* datum an. 1485. in quo de titulo *Austriæ* nec littera quidem, nec umbra de eiusdem parvula reperire est. In nummis porro eiusdem Regis MATHIAE, quos in argento & auro inspicere mihi licuit, apud Doctiss. D. SCHWANDNERUM, animadvertisi, iis in locis, in quibus HANTHALERUS insignia *Austriæ & urbis Viennensis* cubare credidit, nihil aliud exprimi, quam duos angulos acutos, sibi æqualiter distantes, & utrinque secantes scutum; quod utique monetarii signum fuerit, vel loci, ubi moneta percussa est; in aureis namque eiusdem Regis nummis, eo in loco, quo prædicti *Grossi* argentei scutulum cum duobus angulis exhibent, vel caput gruis vel ciconiæ, vel rota curulis, vel denique siglæ cum cruce, aut lilia conspiciuntur. Quare hunc HANTHALERI nummum, de quo modo egimus, non *Austriacis*, sed *Hungaricis* ac *Bohemicis* accensendum esse iudico. Qui eius generis typum curate delineatum, & scite descriptum intueri percupit, is collectionem *Grossorum* (6) audeat suadeo. His ita præmissis, ad exponendos nummos Austriacos, de quibus §. I. huius Prolegomeni data est series, iam accedo.

6

RUDOLPHI I.

REGIS ROMANORUM NUMMI.

V.

TAB. VII.
Num. I.

*RUDOLPH. RS ROM. anorum REX. RUDOLPHUS in throno sedens, corona aperta redimitus, & mystace præditus, dextra gladium, sinistra globum Imperii tenet.

VRBS. AQVENSIS. VINCE. Tres turres supra fornicem: subtus corona regia aperta.

7

Nummum hunc missilem occasione coronationis Aquisgrani, mense Octobri an. 1273. factæ, in vulgus sparsum fuisse, cum magna probabilitate tradit Cl. KOEHLERUS (7). Alium maioris moduli, elegantiorisque formæ nummum missilem, quem ABRAHAMUS HOFFMANNUS (8) RUDOLPHO I. pariter dare voluit, iure & merito ad tempora RUDOLPHI II. Imp. reiicit. De ceteris RUDOLPHI nummis, eidem perperam attributis, supra egimus §. II. Sed monendum hic restat, recitatum modo lemma: *urbs aquensis. vince:* reperiri pariter in nummo ADOLPHI Rom. Regis, cuius deli-

8

nea-

(6) Locul. II. Tab. VIII. n. 70. p. 128.

(7) m b. I. p. 398.

(8) De elect. & coronat. RUDOLPHI I. p. 263.